

Euthymius. Super vno peccatore respiscente. Syriacus. Super vno peccatore penitente.

EXPOSITIO VI.

102.



Cum inuenerit. De inuenta drachma magis mulier gaudet, quam de reliquis nouem feruatis. Conuocat amicos, & vicinas. Non se temperat pra gaudio, sed praedictis communicat rem. Conuocat amicos, & vicinas. Sicut & pastor amicos, & vicinos, non vero e contra. Viti mulierum consortium euitent, sicut & mulieres virorum consuetudinem abhorrescant. Congratulamini. Seu vt legit Caietan. Congaudete mecum. Nobilis matrona cum perdidit drachmam meroore confecta planctum edidit, & tunc non legitur socias inuitasse ad festum, vt modo ad gaudium ex ipsa comparata; quod per belle notauit Chryfolog. ferm. 169. Inuenit, ait, intra domum, amicos ad letitiam conuocat, & vicinas; quas perdens conuocasse non legitur ad merorem. Tristitia, & infausta in se reflectit mulier, prospera, & iucunda suis domesticis communicat, & eas a luctu excusauit, ad collatandum inuitauit.

Caietan.

Chryfolog.

Matrona dura sibi, letia sua, exhibet.

103.

Gaudent Angeli. Bonauent.

Ita dico vobis. Concluditur parabola, & denotatur, quod inuento humano genere Christus, & Angelus laetantur in caelo; Christus vt pater gaudet de salute filiorum Gaudent & Angeli, vt ait D. Bonau. de penitentia hominis peccatoris, quia destruitur culpa, restituitur iustitia, confutatur demonum superbia, efficacis efficiunt Angelorum custodia, reparatur Ecclesia, placatur ira diuina, & restituitur Ierusalem superna



CAPVT XXVII.

Filius Prodigus.

Luc. 15. n. 11. Ait autem: Homo quidam habuit duos filios.

Num. 12. Dixit adolescentior ex illis patri: Pater da mihi portionem substantiae, quae me contingit. Et diuisit illis substantiam suam.

VERSIONES.

Syriacus n. 11. Et dicebat ei rursus Ies- chua: vir quidam.

Syriacus n. 12. Et dixit ei filius minor natu: Pater mi da mihi partem, quae mihi contingit ex domo tua, diuisit itaque eis possessionem suam.

Arabicus. Dixit minor ex illis patri suo: da mihi portionem

de facultatibus tuis mea.

D. August. Da mihi partem patrimonij, quae me contingit.

Euthymius. Substantiae, quae mihi obuenit

Vatablus. Quae mihi cedit, & diuisit illis facultates, Et diuisit illis vitam.

Arias.

EXPOSITIO I.



CONCLUSIO in duabus parabolis antecedentibus fuerat, maius gaudium esse in caelo super vno peccatore penitentiam agente, quam supra nonaginta nouem iustis. Hoc confirmat hac tertia parabola de patre perditum filium multa exultatione recipiente, in quo tota res multis, ac pluribus significatur. Homo quidam. Diues, & potens, habuit duos filios. Quorum ingenia in parabola explicantur.

1.

Conuocatio est antecedentiu.

2.

Cupiditas diuitiarum impatiens.

Quilibet suis contentus sit.

Lites fugienda.

QUESTIO I.

Explicatur quid Pater, ac filius, & substantia, significant in parabola?

TRES personae introducantur in parabola. Pater, filius iunior, & senior, deinde substantia, seu facultas data, quae pro maiori claritate singillatim sunt explicanda.

3.

Primò. Pater est Deus, qui omnes creauit, aut etiam, vt ait D. Ambros. est Christus Dominus verus Deus, qui omnes suo sanguine redemit, & regenerauit, & quotidie in baptismo regenerat. Maxime ponderandum, quod ex mysterio Incarnationis rectè Deus sub typo patris habentis duos filios significatur, vt ait D. Chrysol. ferm. 5. Postquam Christum nostrae carnis suscepit

4.

Ambros.

Chryfolog.

vnus, & Deus induit exuias humanas; veraciter se Deum hominem vocat: Dominus patrem vere se duorum nuncupat filiorum: nota adiuncta verba. Quia humanitati permixta Deitas, Deitati consociata pietas misceuit hominem, & Deum: quae Dominum vnium in patrem. Olim dicebatur Deus, omnipotens, ac Dominus exercituum, quae potentiam, & maiestatem, & etiam rigorem, ac seueritatem ostentabat: ex Incarnatione autem; Humanitati permixta Deitas, & Deitati consociata pietas, quae Dominum vnium in patrem. Quia Deus factus est homo. Sic Deitati consociata pietas. Vt iam signa antiqui rigoris depofuerit, ac mansuetudinis, & pietatis ingenium induerit, clementiamque patris assumperit. Deitati consociata pietas, quae Dominum vnium in patrem

Dei pietas post Incarnationem.

Chryfost. Bostrenf.

Hieron. August. Bernard. Beda. Bonau. Carthus. Haymon.

Hieron. Bostrenf. Theophyl.

Hieron. Theophyl. Euthym.

Ambros.

Quid substantia.

Quantum ad filios. Auctor homil. de duobus filiis; quae D. Chryfostomo tribuitur, & Titus Bostrensis testantur nonnullos existimasse, filio seniore Angelos significari, iunior homines. Quae expositio probabilitate caret. Secundò Diuus Hier. Epistola de hac ipsa parabola ad Damascum. D. August. lib. 2. quae. Euangel. cap. 33. D. Bernard. in ferm. de diuersis affectionibus animae. Beda, D. Bonau. Haymon, & alij antiqui Iudaeos, qui vsque ad Christi aduentum semper Deo, eiusque cultui, ac fidei adhaeruerunt, primique in eius religione fuerunt, & ideo per seniore adumbrantur. Iunior verò adsignificat gentiles, qui à Deo, quem tempore Adae, & Noë coluerunt, recesserunt, & ad idola, ac vitia carnis conuersi sunt. Et Iudaeis bene adaptatur murmur de gentilibus, ad fidem, & gratiam per Christum adductis.

Tertiò, & aptissime ad scopum parabolae, ac intentionis Christi, vt interpretantur D. Hieron. citat. Epistol. ad Damascum, Titus Bostrensis, Euthym. Theophylactus, & alij docent, quod duo filij significant iustos, & peccatores, siue illi Iudaei sint, siue gentiles, nam peccatores, cum quibus Christus conuersabatur in Iudaea, murmurantibus Phariseis, maiori ex parte erant Iudaei, & non gentiles. Senior ergo filius notat iustos, tam eos scilicet, qui verè erant iusti, ac veluti primi in vinea Domini laborantes, quam eos, qui se iustos aestimabant, quales existebat Scribe, & Pharisei; iunior verò filius denotat peccatores notos, & manifestos, quales erant publicani, & meretrices, cum quibus Christus degebat, & comederat, vt eos lucrifaceret.

Quantum ad substantiam. D. Hieron. Theophylactus. Euthym. per substantiam liberum arbitrium interpretantur, quia homines, vt ait Euthym. Deus suo libero arbitrio relinquit. Deus hominem relinquit in manu consilij sui. Ecclesiasticus cap. 15. num. 14. & sic D. Hieron. citata Epistola ad Damascum interpretatur. Diuisit illis substantiam, idest dedit eis liberum arbitrium, dedit mentis propriae libertatem. Alij per substantiam intelligunt virtutes, mores probos, ac dona naturae, cui sententiae fauet. D. Ambros. ac illa verba: dissipauit substantiam suam. Ille, ait, viuendo luxuriose consumpsit omnia naturae ornamenta.

Tertiò, ac plenissime. Per substantiam interpretantur omnia homini concessa à Deo tam corporis, quam animae; siue naturae, vel gratiae, siue naturalia, vel supernaturalia; haec enim sibi dari, suaeque potestati, ac libertati committi potestati filius adolescentior, nolens iam amplius à parente suo dirigi, ac gubernari, sed sui iuris esse, à se, ac à suo dictamine regi, Deique donis

vti, vel abuti, vt ei placitum fuerit, & haec dona proprie per peccatum à delinquente prodiguntur, cum liberum arbitrium perdi nequeat. D. August. lib. 2. quae. Euangel. quae. 33. ait, intelligere, meminisse, ingenio alacri excellere, omnia ista diuina sunt munera, quae in potestatem accipit homo per liberum arbitrium. Et D. Hieron. citat. Substantia Dei est, ait, omne quod viuimus, sapimus, cogitamus, in verba prorumpimus: haec Deus aequaliter vniversis, & in commune largitus est, &c. Ita communiter Recentiores Barradas, Lucas Burgenf. Cornelius, & alij.

August.

Hieron.

Barrad. Bostrenf. Luc. Burgenf. Cornelius.

9.

Spiritualia bona solida, terrena verò accidens & nihil Chryfost.

Ex quibus multi per substantiam intelligunt gratiam, ac animi bona, & cum dicitur: Dissipauit substantiam suam. Idest caelestia dona perdidit, ac prodegit, haec enim tantum sunt firma, ac solida bona, quae substantia dicuntur; mundalia verò sunt merum quoddam accidens, ac imagines rerum. D. Chryfostom. concion. 4. de Lazar. Quemadmodum, ait, conspicientes in pariete pictum diuitem, non illi inuademus, eo quod quae videmus, rerum umbra est; non veritas, sic & diuitiarum gloriam, aliarumque rerum omnium naturam, si pernoauerimus. Liberabimur à perturbatione, haec enim omnino umbra quamuis fallaciora, nec quidquam habent sublime, aut praclarum.

Ait Habacuc. 1. num. 14. Et facies homines quasi pisces. Cur homines supra terram degentes comparat piscibus in profundo pelagi versantibus? In quonam est huiusmodi combinatio inter homines, & pisces; etsi pro huiusmodi revariae sint rationes, & allegoriae. Pro praesenti instituto notandum est; quod in aquis tanquam in speculis videntur astra representari, adeo vt mare videatur secum habere solem, lunam, & stellas, quas aspicientes pisces earum puchtitudine delectati, ad illas magna auaritate currunt, cumque ad illas deueniunt nil substantiae reperiunt, sed solum vnum accidens cuiusdam representationis, ac imaginis, quo alioqui ignorantes gaudent, & exultant, vt oprime cecinit D. Gregor. Nazianz. carmine ad Virgin.

10.

Habacuc. 1.

Nazianz.

Cum sol in meridie, Phaebe, & sidera limphis piscibus irradiant, quoniam non illas, sed umbras vanaque prospiciunt, veri simulachra remoti, Latenturque umbris, & imagine lucis inani

Rectè ergo Propheta ait: facies homines sicut pisces: hominesque piscibus comparantur, quia in mundi huius pelago velut pisces natantes, cum vident res aspectu delectabiles ad illas magno impetu currunt, ad quas deuenientes nil solidum habent, sed solum simulachra quaedam inania, & vacua, quibus inescantur, vt incunditate perfundantur, cum in illis sit tantum figura quaedam, vt ait D. Paulus 1. Corinth. 7. num. 31. Præteris figura huius mundi. D. Chryfost. ad Eutropium. Imagines sunt, ait, & inania simulachra, quaecumque ad gloriam faciunt humanam.

Mundi bona solum quaedam accidens

1. Corinth. 7. Chryfost.

Ait Ioanes in Apocal. cap. 11. num. 1. Datus est mihi calamus similis virgae, & dictum est mihi surge, & metire templum Dei, & altare, atrium autem quod est foris templum, eiice foras, & ne metiaris illud. Cur calamo, seu cubito suo atrium non mensurabit cum altate, templum, imo & adorantes in eo iustus est metiri? Nonne, qui templi architectus fuit, & atri? Cur ergo hoc immensuratum manebit? Deinde quid sibi vult illa locutio. Atrium quod foris est templum, eiice foras. Si foris erat, quomodo foras eiiciendum Alcazar ex Graeco pro eiice foras, legit, contemne, pro nibilo ductio.

11.

Apocal. 11.

Alcazar.

Idem

Temporalia
contemnenda,
ac pro nihilo
habenda.

Idem Alcazar per templum, ac altare interpretatur bona spiritualia; per atrium verò, quod est foris bona temporalia, quæ communiter dantur à Deo fidelibus, ac infidelibus, qui extra Ecclesiam sunt. Tubetur ergo metiri templum, & altare, id est bona spiritualia tanquam rem sibi maximè necessariam, & æstimabilem, cum ad salutem animæ; ac illius perfectionem attineat. At verò atrium, seu bona temporalia non sunt mensuranda, tanquam res nullius momenti, sed ejice foras. Hoc est contemne, ac pro nihilo ducito. Præcipue si hæc cum bonis animæ conferantur contemnenda, & repudianda sunt. D. Gregor. Nyssen. oration. in Quadragesima Martyres sic de illis ait; Vnus eis solus metus erat, ne à Christo seingerentur, unum bonum esse cum Christo solo, cætera verò omnia risus, & umbra, nuga, & somniorum visis similia.

Nyssen.

QVÆSTIO II.

Quare adolescens cum in domo patris abundaret, suam substantiam sibi dari petit?

12.
Sua forte non
contentus in
deseritiora ca-
dit.

PATER diues erat, cuius filius in domo eius multa rerum copia fruebatur, & tamen petit dari sibi substantiam suam, sic sæpe contingit, quod homo sua bona forte non contentus aliam exquirat, in qua multa sibi parata sunt mala. Absalon vt princeps degebat in domo patris sui, illius vitæ impatiens regnum inuadit, quid inde habuit? Quer cum ex quo pendet, & tres lanceas, quibus cor insigitur, & foueam, in qua deicitur, acruumque magnum nimis lapidum impostum super eum. 2. Reg. 18. num. 14.

2. Reg. 18.

13.
Chrysologus.

Secundò. D. Chrysologus serm. 1. Heres impatiens, ait, patris fatigatur ad vitam. Valde luculenter viuere filius in domo patris; quid ergo ibi ei offendit oculos, vt recesum cogitet? Hæreditatis ambitio, qua æstuabat, multa præparauit offendicula. Affectabat filius patris funera, vt diuitias possideret, & quia sciebat patrem, ait Chrysologus, nullo claudendum sine. Inde Heres impatiens patris fatigatur ad vitam. Quamuis ingenium naturæ sit vt filius diuturna læcula patri exoptet, illiusque vitæ consulat, tamen auri cupiditas sic mutat mores, vt naturam deponat, & præ hæreditatis desiderio funus patris vehementer desideret, sic & senior frater, cum videt de filij reditu totam patris domum exultare, ipse solus tristabatur, itavt noller introire, qui de eius discessu maximè lætatur fuerat; vt ipsi soli hæreditas paterna contingeret, à qua cohæredis aduentu videtur defraudari, indeque ex ipso magno dolore vulneratur. D. Chrysologus. serm. 4. Creditur damnus, ait, qui rediisse conspicit cohæredem. Potentior est auaritiæ furor, quam sanguinis vinculum, esse possessionis cupiditas fratris, ac patris amorem, & ius violat, & contemnit.

Ambitio pa-
tris, ac fra-
tris ius, &
amorem vio-
lat.

Chrysologus.

14.
August.

Tertiò. D. Augustin. in Psalm. 131. In sua potestate, ait, esse voluit ille filius, qui dixit, da mihi partem patrimonij: qua me contigit. Bene seruabatur apud patrem, ne cum meretricibus dissiparetur. Accepit, facta est in eius potestate. Profectus in regionem longinquam, effudit omnia cum meretricibus. D. Bonau. in præsent. Hic adolescens, ait, petit partem suam, cum relinqui vult libertati suæ, vt

Bonaque.

iam non secundum imperium gratia, sed secundum nutum voluntatis sua incedat. Bene erat filio in domo patris, ac sub eius filio in domo patris, ac sub eius cura, hanc tamen vult dimittere, & sua propria voluntate dirigi; hæc est multorum stultitia, qui cum bene viuant sub Dei nutu, suorumque maiorum regimine, tamen illud abiicere, suoque arbitrio vehementer exoptant gubernari, omnemque bonorum substantiam suis manibus permitti intentant, inscientes in quanta mala deueniant, quotque pericula eas subleant, nullumque discrimen maius habet homo, quam si aliquando obtineat id, quod postulat suis manibus, ac arbitrio relinquatur.

Periculose
degit homo,
cum suo con-
silio regitur.

Ait Regius vates. Psalm. 118. num. 109. Anima mea in manibus meis semper. Quid magis gratum, ac iucundum poterat contingere, quam quod anima sua esset in suis manibus, ipse enim vt rem suam, ac propriam vitam maximè eam custodiret, ac defenderet; habuit ergo inde securitatem, minimè, sed magnum periculum. Anima mea in manibus meis semper. Chaldæus maximè in rem nostram. Anima mea periclitatur, ac si in superficie manus meæ esset semper. Nebiensis. In periclitatione fuit anima mea. Cum eius anima, seu vita comissa esset in manibus eius, inde in magno periculo, ac discrimine versabatur; tanquam si esset in vltima manus superficie, vt inde facile caderet.

15.
Psalm. 118.

Chaldæus.

Nebiensis.

Homo in suis
manibus non
est securus.

16.
Reg. 19.

Propter occisos Prophetas Baal à Parente Elia aduersum eum irascitur Iezabel, quod cum nuntiatum fuisset Elia, timuit ergo Elia, & surgens abiit quocumq; eum ferebat voluntas, & petiuit anima sua, vt moreretur, & ait: sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neque enim melior sum, quam patres mei. 3. Reg. 19. num. 3. Celebris difficultas: cur magnus Parens Elia, qui tam fortis, ac robustus animo erat, vt regem in præsentia sua corripere, ac populi turbatorem appellaret, nunc timeat, tantoque timore prematur, vt mortem exoptet. Petiuit anima sua vt moreretur. Quod nullibi legitur fecisse; vnde ergo tantus timor de vna muliere. Elia vsque modo Dei nutu regebatur, ad torrentem Carith misit eum Deus. Deinde vt iret in Sarepta ad mulierem viduam, tandem vt ostenderet se Achab. At modo abiit quocumq; eum ferebat voluntas. Sua voluntate ad hunc, & illum locum mouebatur, quandiu ergo Elia Dei mandato dirigebatur, imperterritus erat, & reges, vt Achab, Ochoziam, ac eorum duces acriter arguebat, eisque dura, & aspera denuntiabat; at cum relictus est suæ voluntati, subque consilio, cum optimè agnosceret magnus Parens quantum periculum ibi lateret, tunc timet, ac de vita præsertim fatigatus mortem exoptat. Abul. citato lib. Reg. q. 3. Cum Elia, ait, stetit coram Achab, dixit ei Deus, quod appareret coram eo, & cum omnia faceret de Dei mandato, certissime sciebat, quod non occidendus esset ab Achab; Nunc autem Deus non dixit Elia, quod ageret aliquid coram Iezabel, sed reliquit eum in consilio suo, & tunc Elia humane agens, timuit, & cauit sibi fugiens à conspectu Iezabel.

Timet Elia,
cum suo con-
silio relinquitur.

Abulcafi.

QVÆ

QVÆSTIO III.

Quare petente vno filio, Pater ambobus diuisit substantiam?

17.
Chrysologus.

PRÆCLARE respondet D. Chrysologus serm. 1. expendens quomodo filius petit à parente suas facultates; & quomodo pater eas filio est elargitus: sic ait. Illam fuisse huius petitionis offensam, genitoris largitas comprobauit; & diuisit illis substantiam suam. Petente vno, ambobus totam substantiam mox diuisit, vt scirent filij, quod ante tenebat pater, non fuisse auaritia, sed amoris prouidentia, non inuidentia, non dedisse. Quæ verba vt pote magno acumine plena, magnisque ponderationibus facta, alte sunt examinanda. Hic tamen in limine quæstionis est notandum iuxta citatum Chrysologus. quod pater non ex auaritia, sed ex prouidentia, ac amoris affectu retinebat censum; datur verò in vindictam offensæ petitionis, vt indulgentissimus negauerat, quod iratus permittit dari filio; vt agnosceret adolescens, quot mala sua petitione sibi procurauerat; vnde subdit Chrysologus. Censum nudauit filium, non ditauit. Ad quæstionem, ac ad citata verba.

Ex indulgen-
tia retinetur,
quod sæpe in
penam datur

18.

Offenditur
liberalitas
cum aliquid
petitur.

Primò. Illam fuisse huius petitionis offensam, genitoris largitas comprobauit. Quænam offensa à iuniore filio parenti irrogatur in petitione sua, ipse enim nihil abscondite subripuit, & nihil supra suam fortem petit, sed tantum id quod suum erat, eique contigerat. Iunior filius petierat à patre hæreditatem suam, ecce offensa genitoris, liberalis enim preces non expectat, & bonus princeps benemeriti vota anteuertere debet; Inde ergo prouidus pater. Petente vno ambobus totam substantiam mox diuisit. Vno rogante vtique filio largitur hæreditatem, vt dum non petenti germano substantiam impendit, genitoris liberalitas demonstraretur, eiusque magnificentia declararetur. Genitoris largitas comprobauit petitionis offensam. Dedecus patris ex iunioris postulatione deletur largitate concessa non petenti.

19.

Offensa est,
quod quis in
suo munere
rogetur.

Secundò. Illam fuisse huius petitionis offensam, genitoris largitas comprobauit. Tenebatur pater, quæ filio vt pote iam emancipato, vt dixi in expositione; obuenerat hæreditatio iure reddere, ex profunda, & alta ratione, vt mox dicam, aliquantum distulit; Quod ergo pater passus esset rogari in his, quæ sui muneris erant, pro offensa reputauit, ne ergo in aliquam desidia notam incurtat, dat etiam fratri non petenti, cui non debebatur, vt pote adhuc sub paterna cura in domo eius, vt genitoris largitas maximè in suo munere prouida declaratur. A Proconsule Plinio deprecatum est, vt causam ageret iustissimam quidem contra Calium consulem designatum; sicque Gallo scribit. lib. 4. Epistol. Admones, ait, & rogas, vt suscipiam causam contra Calium. Quod admones, gratias ago: quod rogas, queror. Rogari enim non debeo, quod non facere turpissimum mihi est. Expende, quod rogas queror.

20.

Orans non
solum sibi
sed etiam
alijs impe-
trat.

Tertiò. Petente vno, ambobus totam substantiam mox diuisit. Cur vno petente, non solum ei datur hæreditas, sed etiam alteri non postulanti tribueret, ad quid ergo alteri datur? Magna orationis vis semper est ad redundantiam, vt non solù petenti impetret, sed etiam in alios exundet, illisque multa bona obtineat; cum vnus orat, non

solum sibi impetrat, sed etiam alijs quamplura dona comparat, quibus eos locupletatur, ac replet: petente vno ambobus totam substantiam mox diuisit. Mandatur Loth ab Angelis, vt egrediens de Sodoma in montem saluum se faciat, postulat ille, vt ei concedatur in paruam ciuitatem Segor declinari. Angelus dixit ad eum, ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam urbem, pro qua locutus es. Genes. 19. num. 21. Non solum eius orationi conceditur, vt in ciuitatem tendat, sed etiam ipsi ciuitati, ac eius habitatoribus paritur, ne subuertatur, vt alias erat executandum: fauet D. Chrysolomus. Petitionem tuam, ait, tibi exhibeo, propter te, etiam ciuitati parcam, quasi diceret, non solum annuo precibus tuis, sed vltra nulla erit pena habitatoribus infligenda.

Genes. 19.

21.

Quartò. Petente vno, ambobus totam substantiam mox diuisit, vt scirent filij, quod ante tenebat pater non fuisse auaritia, sed amoris. Vno exposcente ambobus substantiam diuisit tanquam in munimen, ac defensionem suæ liberalitatis; Iunior filius sibi persuadebat, quod suus pater rem retinebat, non ex prouidentia, sed ex auaritia, vt ergo filius à sua malitia superfedeat, dat pater hæreditatem etiam non petenti, vt deprehendatur, quod pater filiis facultates non distribuebat ex prouidentia, & non ex auaritia, non ex retentione nimia bonorum, sed ex abundantia cautela, ne filij iuuentute lubrica multis voluptatibus se fœdarent; quod antea tenebat pater, non fuisse auaritia, sed amoris: prouidentia, non inuidentia non dedisse. Ex hoc instruantur omnes, quod cum se videant egestate aliquando grauati, vel ingenio, eloquentia, aliisque exquisitis non polleere dotibus, non tristentur, sed potius lætentur; animaduertere debent, quod Diuinum numen sua incomprehensa cognitione non solum possibilia, sed etiam omnia futura distinctissimè attingit, ac proinde optimè agnoscat, quod si Petrus his, vel illis talentis ornaretur, illis abusus esset, & in perpetuos damnatorum cruciatus abiret, quod antea tenebat Pater non fuisse auaritia, sed amoris: prouidentia, non inuidentia non dedisse.

Deus sapa
nobis non dat
dona ex prou-
identia, &
amore.

22.

Quintò. Petente vno ambobus totam substantiam mox diuisit. Vnus solus exposcebat, sufficiens erat, si vni soli substantia tribueretur. Hoc in alijs abundans erat, non tamen in Deo, à quo est alienum vni soli sua dona tribuere; semper enim ei est in more sua dona omnibus distribuere. Cum latro clamaret de cruce: Memento mei Domine cum veneris in regnum tuum. Ait illi Christus Dominus: Hodie tecum eris in paradiso. Luc. 23. num. 43. Hic ille Deus qui etiam petente vno, duobus substantiam diuisit, à quo nemo solus accipit quicquam: Cuius dona non vni dantur, nunc vni, & soli petenti omnia sua tribuit? Pulchre D. August. Absit, ait, non illi soli hoc præstitum esse deprehendimus, nam dum tantum reum benigne relaxat, humano generi subscripsit securitatem, vt consolatio, atque spes totius populi absolutio vnus desperati esset, & priuatum donum cresceret in publicum beneficium. In tanta benignitate, non solum vnus pandit suam clementiam, sed omnibus, dum ex tanto reo absoluto cunctis salutis æternæ datur spes. Vide verbum Communicare, in Indice.

Deus sua do-
na non vni,
sed multis
communicat.
Luc. 23.

August.

23.

Sextò. Petente vno, ambobus totam substantiam mox diuisit. Et postea subdit. Tenebatur pater seruare substantiam, non negare. Licet pater tene-